



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice
Methodum compendiariam reformationis Ecclesiasticæ à Concilio
Tridentino factæ continente

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

Principium 4. Non est tutus in Conscientia, qui plura possidet Beneficia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

De reg. Juris, ubi dicitur. Secundum naturam est, com-
moda cujusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda.
Et sic approbant & explicant Canisius, Decius, Dynus, &
librosa axiom. 169. n. 3.

Ratio.

Quia alioqui onera in paucos conjicerentur, atque ad-
equitas naturalis & Justitia non observaretur.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Beneficiatum, qui fructus competen-
tiam ex Beneficio percipit, etiam ad officium divinum re-
mandandum obligari, uti ex cap. significatum. t. i. de præbend.
colligitur.

Deducitur 2. Etiam ad Residentiam obligari Beneficia-
ria ut ultra tres menses (ubi Concilium Tridentinum re-
ceptum est) non liceat illi abesse ab Ecclesia, cujus fructus
percipit, uti in sess. 24. c. 12. de reform. & tit. de Clerico non
residente colligitur.

Deducitur 3. Distributionibus quotidianis non gaudere
Beneficiatum, qui officio divino præsens non est, & per
operalem infirmitatem, aut necessitatem, aut evidentem
necessitatem utilitatem non excusatur, ut Bonifacius VIII. de
non residente in 6. definit, & Concilium Trid. sess. 24.
de reform. confirmavit.

PRINCIPIUM IV.

Non est tutus in conscientia, qui plura possidet
Beneficia.

Sensus.

Hoc est, qui plura Beneficia incompatibilia vel com-
pugnabilia, quorum unum quodque honestam sustentationem
requirit, possidet, non potest ea absque peccato & obligatione
sustentandi possidere, nisi talis pluralitas per causam justam,
et consuetudinem immemorabilem cohonestetur.

Autoritas.

Desumptum est ex cap. is, cui de præb. in 6. ubi dicitur:
si concedatur, ut autoritate Apostolica possit uni Perso-
nae ido-

næ idoneæ in sua vel aliena Ecclesia providere, alicui alio
beneficium sufficiens obrinenti providere non potest. Ita
ex cap. postulasti de rescriptis & cap. cum tenemur de præb.
Et communi consensu Theologorum hanc pluralitatem jam
naturæ repugnare asserentium.

Ratio.

Quia alioquin Ecclesiastici redditus male & inutiliter
dispensantur, divinus cultus imminuitur (dum unus loco
plurium instituitur) & in aliquibus Beneficiis etiam de fru-
datio voluntatum Testatorum sequitur, ut qui ad hoc bona
Ecclesiis contulerunt, ut certus numerus Deo servantium
esset, uti S. Thomas quodl. 9. a. 15. discurrit.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Eos, qui plures Canonicatus aut Ep-
iscopatus possident, non posse illos retinere, nisi ex immemora-
bili consuetudine (qualem Layman in Germania viget)
residentia paucorum duntaxat mensium requiratur.

Deducitur 2. Non esse causam sufficientem ad plura Be-
neficia percipienda, si aliquis fructus de alterutro pauperibus
distribuere velit; quia alia adhuc deformitates, videlicet
Ecclesiæ damnum, inæqualitas distributionis, &c. non tolluntur.

Deducitur 3. Si habens Beneficium curatum vel Perfor-
natum aliud susceperit, prius Beneficium ipso Jure vacare
in c. de multa. de præb. Innocentius III. decidit.

§. III.

De Principiis ad Juramentum pertinentibus.

PRINCIPIUM I.

Non est illicitum Juramentum, si debito
modo, causaque sit factum.

Sensus.

Hoc est, etsi per se optandum sit, ut nullum unquam Je-
ramentum fieret (uti Christus Matt. 5. indicavit, dum dicit
Ego autem dico vobis, non jurare omnino) si tamen condicio